



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non  
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu  
peragi possint

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Praxis quarta consistit in devota recitatione Rosarii, cuius variæ praxes vel  
modi ad majoris devotionis augmentum à viris piis inventi sunt. Primus  
Modus orandis Rosarium cum reflexione ad 15. ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](http://urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

erit, ad summam ejus gloriam sequat, ubique & in omnibus, injurias tibi illatas vel inferendas omni officio pietatis sarciam, & viribus totis per me aliosque propulsem. Te his omnibus, & omnibus, quos mihi Deus per te suggestere dignabitur, modis, corde, lingua, opere amem, colam, reverear ut Dei Matrem; denique optimè & flagrantissimè atque constantissimè amem Deum in te, & te in Deo propter Deum, atque ab illo ac te amer, moriarque morte verè Deum, verè te amantium; & in beatissima eternitate gratuler Deo de te, & tibi de Deo, & unâ tecum illum videns in lumine viventium, & amans & laudans dicam: *Alleluja. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Gloria Patri & Filio, & Spiritui S. sicut erat in principio & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.* Hæc & similia ex intimo corde evibabo crebriùs ad majorem SS. Trinitatis, Deiparæ, omnium Angelorum & Sanctorum gloriam, & solidum ultimi agonis mei solarium.

*Praxis quarta consistit in devota recitatione Rosarii, cuius variae praxes vel modi ad maioris devotionis augmentum à viris piis inventi sunt.*

*Primus Modus orandi Rosarium cum reflexione ad 15. Mysteria.*

**P**rimus orandi Rosarium Modus reflectit se super quindecim præcipua Mysteria Christi  
Do-

Domini & S. Matris ejus, in singulis autem decadibus & granis, ad quæ oratur *Ave Maria*, post hæc verba *benedictus fructus ventris tui Iesus* unum ex his mysteriis subjicitur. Quinque ex his vocantur *gaudiosa*, ut *Annuntiatio*, *Visitatio*, *Nativitas Christi Domini*, *eiusdem presentatio*, *eiusdemque in templo inventio*. Alia quinque dicuntur *dolorosa*, ut *Oratio Christi Domini in horto cum sudore sanguineo*, *Flagellatio*, *spinea Coronatio*, *Crucis Bajulatio*, & ipsa *Crucifixio*. Alia demum quinque vocantur *gloriosa*, ut *Resurrectio D. N. J. C. Ascensio*, *Sessio ad dextram Patris*, *Missio Spiritus S. Assumptio ipsius B. V. & gloriosa ejus in cælis Coronatio*. Prout jam varium est tempus anni. Sic hæc Mysteria inter recitationem Rosarii recoli possunt. Et ut magis accendatur *devotio*, *distractiones cohibeantur*, & cum fructu oretur Rosarium, Post quamlibet decadem hæc duo observa. *Primo.* Perpende breviter Mysterium illud, quod ad decem grana recoluisti, & prorumpe in convenientes Mysterio affectus gaudii, doloris, exultationis. *2do.* Necessitates aut miseriam, quâ premeris, Christo Domino ejusque amantissimæ Matri propone, & remedium pete per ipsum illud gaudium, dolorem, vel gloriam, quam ad decem grana expressisti. Et sic perge ad recitationem sequentis decadis.